

censeam: Ἐλεγχ' ἐλέγχου. Quodsi in Hermanni refutandis erroribus acerbius egerim, ut non ἐλέγχειν sed δάκνειν voluisse videar, id non ita esse ex animo possum affirmare. At si iniquior fuisse docear, ne alteram quidem partem vocis Euripideae τὸ δάκνεσθαι deprecabor. Id vero peto et ab ipso Hermanno et a reliquis viris doctis, ut ne pravi animi sed iuvenilis potius fervoris habeant documentum. Accedit quod haec durities in posterum mitescere possit, si Accio credimus, qui fertur praeclare dixisse: *Nam quod in pomis est, itidem esse aiunt in ingeniis; quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda.*

At ubi fuerint, qui non rem sed hominem calumniarentur, eos non patiar me calcare, sed persuadento sibi vindictae nullam moram fore.

Scr. Berolini d. xvi. m. Iun. mdcccxxxvii.

---